



Joannis Domanni Pro Westphalia Ad cl. v. Justum Lipsium Apologeticus.

<https://hdl.handle.net/1874/421108>

IOANNIS DOMANNI

Pro

VVESTPHALIA

Ad CL. V.

IVSTVM LIPSIVM

Apologeticus.

Editio germana, quam solam autor suam agnoscit.



HELMÆSTADII

In illustri IVLIA Academiâ

Ex officina Iacobi Lucij

ANNO

clō. lō. xci.

IOHANNIS DOMANNI

Pro

VVESTPHALIA

Ab Cl. V.

IVSTVM LEPIDVM

Apologus

Apologus



In illustri IVLIA Academia

Ex officina Jacobi Lucii

ANNO

MDCLXII

ILLVSTRI ET GENE-
ROSO DOMINO, DN. IOANNI,
COMITI OLDENBURGENSI ET DEL-
menhorstano, dynastæ in Ieveren, Domino
meo clementiss. submissè dedico
consecroq;

IOANNES DOMANNVS.

Ibellum hunc, quem pro antiquissima
& nobilissima domo Oldenburgica, v-
niuersaq; adeò *Westphalia*, aduer-
sus acerbas in eam *Iusti Lipsij* episto-
las, confeci; cur potissimum sub illustri
nomine tuo, Generosissime Heros, in manus homi-
num venire voluerim; caussa neq; obscura, neq; lenis
est. Nam & epistolæ illæ, quas dixi, in vestram præ-
cipuè domū iniuriæ sunt & contumeliosæ: & occurre-
bas tu inter ceteros procures cum primis, qui, quòd ex
regio *Westphalico* sanguine perpetua serie in saecula
descendis, vel hoc saltem nomine, hoc quicquid est à no-
bis, ob communis patriæ defensionem, laboris susceptū,
benignè & libenter accepturus videbaris. Scripsit
autem epistolas illas *Iustus Lipsius*, bonarum artium
in *Batavis Lugduni* professor publicus; vir aliàs sanè
quàm doctissimus, & editis eruditissimis scriptis lon-

gè lateq̃ celebris; & scripsit Oldenburgi in ditionis
tuae opido. Cum enim ante annos quinq̃, ob imbecil-
lam valetudinem suam, ad fontes acidos tenderet, &
per territorium tuum iter faceret, substitit aliquandiu
Oldenburgi, propter circumfusus undiq̃ tum equites
peditesq̃, qui, ut ipse scribit, in Belgium fortè para-
bantur: & interea ad amicos præter alia, quæ de ho-
spitiis plus quàm Germanicis, languidè sic satis et mu-
liebritèr queritur; etiam indigna de indigenarum in-
geniis, & sede tua & opido Oldenburgi scripsit. Atq̃
hoc quidem semel iterumq̃ fastidioso contemptu nidu-
lum vocitat, idq̃, quò magis animi impotentiam pate-
faciat, mirabundus & cum exclamatione: hîc, ait (in
quo nidulo!) teneor Oldenburgi inter homines semi-
homines: Illa verò etiam eò usq̃ lancinat, ut vix hu-
mana esse velit. Nam, ut iam dixi, semi-homines vo-
cat, & teneri se ait in Scytharum eremiâ, nec inter
homines satis certò: tum amico suo confirmat (necdum
omnia refero) barbariam nullam barbariam esse, præ
hac VVestphalia. Hæc ille tum itemq̃ alia complu-
ra, ad amicos priuatim; quæ asseruauit ab eo tempore
inter chartas suas, donec hoc demum anno etiam in
publicum emisit, excusis primùm Lugduni Batauo-
rum centuriis duabus epistolarum, & mox Franco-
furti

furti recusis. Inter quæ sunt profectò nonnulla, quæ
meritò vident viri docti in tanto viro; sunt alia quæ
viri graues non iniuriâ stomachantur, & ex his qua-
dam etiam seueriorem animaduersionem mereri as-
serunt; de qua non est mihi volenti pluribus differere.
Illud certè nemo non æquis rerum æstimator nobis lar-
gietur, confido, ut dictis dicta oliscamur (quanquam
ne oliscimur quidem) saltem ut dicta acerba & cri-
minationes modeste à nobis propulsemus, & iniuriam
nobis factam publicè attestemur. Quo equidem con-
silio ad hanc apologiam scribendam aggressus sum,
eamq; eadem, ut dicere ceperam, de causâ, illustri
nomini tuo, & publico destinare debui. Huc accedit,
ut aiebam, quod ex regio VVestphalorum Saxonum
sanguine haud dubiè procreatus es, atq; etiamnum in-
ter ceteros Circi VVestphalici et vicini Burgundici
proceres, potentia & gloria flores. Etenim à VVide-
kindo Magno, Rege Saxonum & Principe Angri-
uariorum, continuâ & nusquam interrupta serie ma-
sculâ, vige simus primus numeraris, ut ex Annalibus
annotârunt genealographi. Et, ut est domus vestra
Oldenburgica, magnorum Regum filia & soboles; sic
eadem ipsa potentissimorum Regum et Ducum stirps
est & mater. Nam abauus tuus Theodoricus fortu-
natus,

natus, qui utrumq; comitatum Oldenburgensem &
Delmenhorstianum omnibus agnatis defunctis, solus
possedit; inter ceteros liberos, ex Hedovige uxore,
Ducis Slesuicensis filia suscepit etiam proavum tuum
Gerhardum bellicosum, & huius fratrem Christia-
num, patrum Maiorem tuum, qui Adolpho avunculo
postea in ducatibus Slesuicensi, Holsatia, Storma-
ria, VVagria, & Ditmarsia successit, & ad amplis-
sima etiam regna Dania, Suecia & Norvvegia le-
gitimâ procerum electione est euectus. Cuius patrum
Maioris tui serenissima & illustrissima posteritas
& agnati tui sunt, qui hodie præsunt Dania & Nor-
vvegia Reges & Holsatia Principes. Ut iam ob
communis etiam patriæ defensionem non immeritò
videatur libellus hic noster in tuam sese clientelam
dédere. Ceterum non ignoro, esse qui donandas has-
ce Lipsio facetas fuisse putent, neq; propterea verbum
unum cum tanto viro commutandum. Quibus ego
& infra respondi, & huc repeto, videlicet, commit-
tendum non esse, ut multorum fides ex unius menda-
ciis dependeat. neq; illi sibi solis liquere velint, civiles
iocos inter, & acerbos morsus quid intersit. Haud
ita teneri sumus, ut verbulo transuerberemur; neque
tàm crassi, ut punctiones, quæ vulnerant altius, non
sen-

sentiamus. Deniq; ex scriptore nostro didicimus, famæ contemptu, virtutes ipsas contemni, ac proinde prosperam nostri memoriam studiosè nobis esse parandam & conseruandam. Si qui verò etiam sunt qui obuiandum quidem huic audaciæ fuisse asserant, sed id ab alio factum malint, qui ab atate et eruditione sit instructor, quàm sim ipse; prorsus mecum sentiunt. Neq; enim nescio, quàm non sim ipse cum Lipsio conferendus: & habere me inter populares quàm plurimos, qui ingenio, doctrinâ & iudicio longè mihi antecellunt, non solum scio & profiteor ingenuè, sed etiam vnicè gaudeo. Verùm cum illi hæcenus taceant, facturi fortassis idem quod nos, si opus sit, paullo pòst accuratius, malui interea ingenij mei nervulos periclitari in tam pia causâ, quàm communi parenti patriæ qualicunq; studio meo deesse. Hoc saltem studium meum, & istam, qua in respondendo vsi sumus, rationem; cum ea, quæ erant in nos, & in veritatem ipsam rerum aliquantò impudentiora immodestioraq;, quantâ fieri potuit modestiâ & verecundiâ in autorem regeessimus, si viris cordatis & grauib; probem, non est, opinor, cur in bona causâ vel mihi plus nimio diffidam, vel alios plus a quo pertimescam.

Habes,

*Habes, generosissime Heros, quid me tam ad
scribendum, quam sub illustri nomine tuo exulgan-
dum hunc Apologeticum impulerit. Reliquum est, te
rogem, ut communis patriæ amorem, & deuotum in-
clytæ domui vestræ Oldenburgicæ studium meum cle-
menter agnoscas, & libellum hunc, meq; adeo ipsum
in manum & clientelam tuam recipias. Quod ut
facias, quia maximè cupio, sic abs te, generosissime
Domine, qua par est animi cum submissione maxi-
moperè contendo. Vale Heros inclyte, & saluc.*

Ex illustri Julia Helmaſtadij XI.

Kal. Sextileis, Anno

cl. b. xci.





Ioan. Domanni
pro
VVESTPHALIA
ad CL. V.
IVSTVM LIPSIVM
Apologeticus.

DE Constantia cum primùm edidisti, Iuste Lipsi, tantum confestim & tam illustre nomen apud omnes consecutus es, vt qui Lipsium ignoret, parum in bonis literis, & studio sapientiæ profecisse credatur. Innotueras quidem iam ante tu notis quibusdam Criticis: & de Saturnalibus dederas: etiam alia quædam tua circumferebantur: sed quod in versu est:

Pro captu lectoris habent sua fata libelli
Id tuis istis laboribus accidit, consiliū tuum alijs aliter interpretantibus. Erant qui futilia & curiosa hæc appellabant; pauca lectionis

B manci-

mancipia, quorum scilicet bibliothecæ, nil
nisi rabularum ventosas velitationes olent,
supinitate & inscitia scientias contemnunt,
titulo curiositatis: ipsi *ῥεμεῖονδροι*, (vt non minus
verè, quam eleganter I O S. S C A L. ad te
scripsit) *μεταβολογῶσιν*, & hoc vnum student, vt
mulieribus placeant eorum studia. Hi super-
ficiarij loquutores ne pilum quidem mouere
nos poterant, vt scripta illa tua abijceremus;
ac non ambabus potius manibus, siue amore
tui, siue iudicio aliquo nostro impulsī, am-
plecteremur. Alij non reprehendere quidem
illa, vt friuola aut inutilia prorsus; neq; rur-
sus laudare vt necessaria: modum hic cum
primis desiderabant, qui si absit, nasci aie-
bant, criticis huiusmodi tricis, opinionem
magnæ scientiæ in ingenijs iuuenum, ali
arrogantiam & contemptum cæterorum: ca-
rissimi thesauri furtum fieri, videlicet tempo-
ris; quod non nisi parcè, in his inanitatibus
(ita appellant) sed rerum cognitione conse-
quenda, largiter sit dispensandum. Hæc illi
ita disserēbant, quæ vt vera esse non nega-
bam, ita eadem ipsa te non ignorare, certò
mihi

mihi persuasum habebam: adeò vt præclari-
ora à te & sapientiora expectare non dubita-
rem, atq; etiam modum Critices, & censuræ
illius, in te, & alijs, tuo iussu & exemplo mihi
pollicerer.

Neq; me falsum ea res habuit. Edidisti
enim, vt dicere cœperam, non multò post de
Constantia, opus sine comparatione egre-
gium, quo & compleuisti veterum iudicia,
& præsentis animos expleuisti omnes: tum
spem in futurum scribēdi, omnibus omnem
ademisti, præterquam tibi. Vt enim cer-
tum nobis est neminem vnum esse, qui ad
tam accuratè elaboratum opus quidquam
addere possit: Ita de te non dubitamus, quin
quod optimum iam est, facere possis melius,
si recorderis & sequaris, quod te Læuinus *Cent. 1. ep. 96.*
Torrentius, sapienter, piè & grauiter monuit.
Quod siue facias ipsius monitu, siue non fa-
cias metu aliorum (metuis enim offensionē *Cent. 1. ep. 97.*
tu religionis professione) tamen abundè suf-
ficit opus istud, ad perpetuitatem nominis
tui, & gloriam æternam. Cæterum censuram
in Criticos illos & de stylo conformando
B 2 præce-

præcepta, toties nobis promissa, frustra à te summo rei literariæ dictatore hætenus expectamus.

Interea dedisti nobis libros 6. politicorum, quibus tamen famam & magnitudinem nominis tui apud paucos auxisti Non apud me; quòd non esset locus augendi in eo, quod iam pridem summum mihi &, pænèdixi, sanctum erat; non apud alios; quòd plùs constantiæ tuæ tribuerent, quam vt pressæ & reconditæ sapientiæ luculentum & inuidendum specimen multis partibus præferebant politicis libris, quos de industria & labore quamuis immenso, attamen de labore duntaxat tuo testificari dicebant. Nec ideo tamen etiam illi minus gratum opus habent: laudant imò, & vtuntur vt electis suis, aut quibusdam quasi locis communibus. Diuulgaueras etiam ante politica (nec enim cessas de nobis mereri) centuriam vnam selectarum epistolarum, quas avidissimè, tanquam ~~arripuimus~~ arripuimus; nimirum rati, id quod res est, fore, vt hic intimum animi tui sensum videremus: simul de multis varijs rebus obiter cru-

ter erudiremur. Confirmauit spes nostras
epistola, qua in fronte primæ centuriæ lector-
rem compellas. scribis ibi: *adeò te his*
non scribere, vix his ut legas. profluere tibi episto-
las ex liquido quodam canali aperti pectoris, & ut
animus aut corpus tuum sit cum scribis, ita illas.
Languere castecum, excitari, dolere, gaudere, ca-
lere, frigere tecum. Ingenij deniq; & iudicij tui,
imo & vitæ non vanam imaginem in hac tabella.

His tuis verbis incredibile est, quanta a-
nimi nostri cupiditate fuerint inflammati, ad
epistolas tuas auidissimè perlegendas, quo te,
(quem virum!) nossemus, detectumq; & ut
ais, nudumpenitus introspiceremus.

Et de eruditione quod sperabamus, eâ-
dem epistola polliceris. ais. *Intercur-*
runt epistolæ ex professore philologæ, aut philosophæ, &
salubrium aut docentium præceptorum plena. Con-
sulimus, monemus, cauemus apud iuuentutem
præsertim: quam cura mihi semper ad utilia non
solum ad amana ducere, & animo ac robore pone-
re supra hunc vulgum. Omnino verba &
facta digna Constantiæ professore. Itaq; pau-
lisper valere iussis studijs cæteris, huc toti in-
cubui-

cubuimus, legimus, relegimus. Quid dicam
Lipsi? quid aliud quàm mirari nos? summa
omnia. Mirificū sententiarum pondus; tum
verba rebus æquata, atq; haud scio an pauci-
ora etiam alicubi rebus verba. Constantia,
grauitas, modestia, venustas, animi demissio,
& mitto cætera; summa hæc inquam omnia,
si abessent, quæ sequuntur, arrogantia, fastus,
contemptus cæterorum, confidentia, contu-
melia, quæ & ipsa Lipsi (patere obsecro &
audi verum) summa in epistolis tuis, hoc est
(vt tu interpretaris) in te omnia.

Protea quendam aut Empusam videre
nobis videmur, cum has tam varias formas
intuemur, in quas tu subinde te induis.

Quis non miretur & vehementer col-
laudet singularem animi tui moderationem
cum scribis? *Nullam tam felicem regionem
esse, quæ felicissima omnia ingenia includat, sed
sparsa illa, & Deo dispensante, suam cuiq; terræ
velut gemmulam, quæ illustret.* E contrario
cui vel plumbeo Stoico stomachum non fa-
ciat ista insolentis animi tui libido, qua Ger-
manis passim, tam stultè quàm ferociter in-
sultas

sultas? Scripsisti satyram in laurum poëtarum
Germanorum, qua & ipsos & Inuictis. Im-
peratorem nostrum iniuria affecisti. Moni-
tus es hac de re; Sed quid facis? resipiscis?
scilicet, vt solent petulcæ mentes, cumulas
iniuriam iniurijs nouis, atrocibus & intole-
randis: *vide, inquis, ride: Et si vir es, pro Sa-* *Cent. 1. ep.
23. ad Ian.
Donf.*
tyra nostra, Satyram in Saturos illos scribe. Ita-
nè verò Lipsi hæc rides tu, & iubes ridere ali-
os? Næ tibi risus iste in ciulatum vertet &
exitium, si pergis. Crucem hæc merentur,
crucem Lipsi, quæ tu risum & ludum putas:
quam tamen ego haud tibi precor, sed pro
ea sanum duntaxat sinciput, & mentem me-
liorem: Ita tibi faueo.

Hortaris alibi iuuenem ad modestiam *Cent. 1. ep.
77.*
pietas, inquis, tibi in mente, modestia ante ocu-
los, Et demissio animi ad quam nunquam satis te
horter. Illa fundus bonorum omnium Et funda-
mentum: nec pestis alia plura ingenia abripuit
quàm confidentia Et aestimatio sui. Tu abstine.
Omninò rectè & grauiter. Mox huius tui
præcepti, & tui ipsius oblitus, ab eo, quem
tam sapienter ad modestiam hortabaris lau-
des tuas

des tuas immodicè & stultè decantatas, pa-
lam audis & probas. Sic enim canit ille de
epistolis tuis

Ecce tabellarum liber exit Lipsiacarum,

Doctior. scilicet Ciceronis libro. Et mox:

Iudice me, cede & victum te Marce fatere

Aut certè equatum Lipsiade calamo.

En qua ratione, quaq; fronte te Ciceroni an-
teponit? Stulti iudicis, vt in prouerbio est,
stulta sententia. Hos ego titillatores pro-
cul ab eruditorum hominum auribus garri-
re iubeo. Tu verò hæc vides Lipsi, nec pa-

teris tantum, sed etiam diuulgas quæ tua au-
ctoritate comprimenda fuerant, non propa-
ganda, qui virtutem rem esse non verba pro-
fiteris.

Quanquam ego iuuenem illum
facile excuso. Laudauit præceptorem & alte-
rum parentem suum, hoc rectè: laudauit ni-
mis: tribuimus ætati, & amoris abundan-
tiæ. Tui officij erat, errantem eum in viam
reducere; nec verbis duntaxat, vt dicebam,
differere de virtute, sed re ipsa, & exemplo
tuo, ad eam nobis præire.

Neq; tamen semper magnificè de te sen-
tis &

tis & loqueris; interdum etiam nimis abie-
ctè. Quis non rideat te tam demissè ambi-
entem amicitiam Iac. Cuiacij? *amare in-* Cent. I. c.
p. 18. 67.
quis, liceat, si potiri non licet. item: si dignum
me habes quem redames, quem rebus item tuis
consiliisq; (de litteris loquor) participes, in cælo
me collocabis, nona apothecæ si. Procum videmur
nobis audire quempiam, ad fores dominæ
eiulantem, illiusq; duritiam detestantem.
Et eiulasti tu tamdiu, donec importunitate
tua, verbum tandem extorsisti viro illi de te;
in quo operæ pretium est ridere, quàm iuue-
niliter triumphes. At viri docti, qui te no-
runt, & illum rectiùs quàm tu, persuadent
nobis eo ipso in loco non tam laudatum,
quam irrisum te ab illo. Non solet vir maxi- Obs. 21. cap.
16.
mus quemquam præter supraque modum
laudare. *Vir, ait, ingenij probi & recti. item:*
feliciter ius interpretatur Iustimaneum, & quæ
sunt his similia. At perfectissimum rei litera-
riæ columen, neminem vocavit vnquam,
præterquam Lipsium; quem cum sic voca-
bat, ridebat; quem ipsum vt admiratur, sic
& diligit. Sed laudaverit sanè te, vt fauca-
C
mus

mus tibi: & volumus enim, & æquum est: At indignum erat magnitudine, atq; dignitate tua, tam demissè ambire, & in adepto iam elogio, tam pueriliter exultare.

Indignissimum verò te, & modestis auribus molestissimum est, quod te audes etiam præferre Cuiacio & Scaligero. Deus bone, quibus viris, quis! sed parcam tibi. Scis Lipsi quale epigramma libris de Constantia præfixeris. In eo tu astrum es; illi, stellæ singulæ. Nec est quod tu mihi dicas, dilaudatum te esse ab alio. Tuus liber est, cui præscripsisti versiculos, tua opera publici facti sunt; ne scilicet tam insignis liber, non etiam aliqua stultitiæ nota esset insignis. Obtura aures tuas, obtura ad huiusmodi adulantium aridentium voces? nec crede de te alijs quod tute non credis tibi. Tunc astrum? illi, stellæ singulæ? Tene splendore tuo eorum luminibus obstruere? Nimirum, quemadmodum Asellus iuxta Cancris præsepe Luciferum ofuscatur, vel Caniculam. Certè ita est, tu sidus es: Lucifer Scaliger, Lucifer Cuiacius; qui divini ingenij sui, & iudicij acerrimi radijs, plus-

plusquam Cimmerias tenebras dispulere, ut
quæ olim profunda nocte nigrescebant, Phi-
losophia inquam & Iurisprudētia, orto corū
splendore, iam luce clarissima candean; ad
quorum iubar si te comparemus, paulò mi-
nus quàm nebula es. Et tamen hoc satis est
tibi ad magnam laudem, aliquo saltem loco
esse post hos heroas. Hæc si acerbiuscula vi-
dentur tibi Lipsi, ignosce veritati & pietati
præceptoribus debitæ; quibus ego, quia quo-
tidie proficio, & hæc & plura debere me pro-
fiteor.

Transeamus ad cætera. Iano Doufæ, V. N.
de indice Nund. Francofurtensium scribis. Cent. 1. e-
pist. 15.
En habes, inquis, sed sterilem bonarum rerum. &
nihil nundinæ istæ ad Phæbum. Non dicā quo-
modo hic illuserint tibi rabulæ, sanè iracun-
dum genus hominum; quòd litium sacculos
contemni à te putarent. hoc tantum dicam,
quod de vulpecula narrari volebant tibi. E-
furiens illa, ut scis, cum racemos de vite pen-
dentes, nulla arte posset prensare, infecta re
abscedens, agedum, inquit, desine, immat-
tura vua est, & acerbo gustu insuavis. Sic à te

contemni putabant, quæ ignores & assequi
nequeas. Nesciunt illi te Iurisconsulti titulo
donatum esse, quod scimus nos: ideò litem
illam tibi mouēt, quam ego vobis relinquo.
Illud videamus potiùs. ais. *nihil nundina ista*
ad Phœbum. *Melleri tamen spicilegia edita.*
Hæc igitur, Lipsi, ad Phœbum? hæc rerum
bonarum appellatione tibi veniunt? facia-
mus ita. Quid igitur sibi volunt illa?

mibi crede (inquis) corrumpendis ista, siue per-
dendis potiùs libris literisq; sunt, si dimanat hæc
labes. & dimanabit; ita iuventutem hanc video:
& tantum ingenij specie blanditur hic calor.

Iam hoc tanquam Apollinis oraculum acci-
pimus: sed non percipimus fatis, quomodo
res bonæ perdendis libris & literis sint. Iam
laudas Criticen tanquam certum iter ad im-
mortalitatem nominis & famam: Iam da-
mnas eandē vt quæ perniciē rei literariæ mo-
liatur; neque distinguistamen inter illam &
istam fatis. Lipsi

Stercus vt accipitris nec bene nec malè oles.

Quin excitas præstantem illam ingenij & iu-
diciij tui vim & doces nos quousq; Venus no-
stra

stra(ita loqueris) à vulgo inspicere debeat. Apud
Pomponium Ictum de Tuberone legimus,
quod sermone antiquo vsus scribere affecta-
rit, atque ideo libros eius parum gratos ha-
beri. Et è topicis Aristotelis didicimus, neq;
superstitiosè, neq; supinè nominibus vtendū
esse. Illud, inquit Scaliger, faciunt publici:
hoc priuati nominis decoctores Tu, Lipsi,
doce nos fodes, pergere iter istud medium &
vtroq; periculo vacuum. dico tibi, nihil face-
re potes publicè vtilius. Non nescis quàm fa-
cilè etiam optima queq; cum nouis, prurien-
tes aures commutent. Hoc iam pridem fece-
runt improuidæ ætates, quæ abiectis Cicero-
nis libris, Critica ista *nocturna versantq; manu*
versantq; diurna, quod non dubito, quin fieri
nolis. Huic morbo, quoniam vnus omnium
rectissimè potes, medere Lipsi, vres si placet,
seca: comprime temerarios conatus tot cen-
sorum; doce nos verum vsum desitarum vo-
cum; explica de stylo & imitatione; & præ-
clare admodum de literis, & multorum stu-
diis mereberis. Reposuimus tibi iam pridem
mineruam, gratiam & gloriam immortalem.

Huc me auexit amor tui, & studium erga
Rempub. literariam. Illuc redeo, tam diuer-
sa his epistolis de te prodita esse, vt non Lipsi-
um illum Constantiæ authorem, sed mon-
strum aliquod, aut propudiū hominis mul-
tiforme depictum hīc arbitremur.

*Epist. ad
lect. cent. 1.*

*Non hoc te lēdat (inquis) quod vnum aut alterum
alibi lēsi. Apertē, fateor, nec tamen nominatim.
Sc ille quicumq; est prius prodat & accuset, neces-
sum est, quā me. Cur non liceat? Pestes & vi-
tia hęc hominum detegi, ex vsu hominum est, et si
non ipsos. Quid ais? apertē lēdis tu, neque no-
minatim tamen? quid igitur Mellerum no-
minabas? quid alibi Petreios? ac, vt cæteros
mittam, quid causæ erat obsecro vt Sambo-
cum non pro opinione tua eruditū esse scri-
beres? quod vt verum esset maximē, tamen
publicē id sciri minimē intererat. Quod neq;
tu quidē ignorabas cū istud scriberes. Sub-
ijcis enim: *Tecum hoc sit*, scilicet, quod iam
in ore est omnium.*

Epist. 28.

cent. 1.

Ep. 2. cen. 1.

Hęc atq; alia talia, cū in prima episto-
larum tuarum centuria notaremus, & simul
præstantis ingenij tui vim, & præclaras animi
dotes

dotes, nobiscum putaremus, mirati sumus
subinde vehementer, te hæc non videre. Ac
multò etiā magis, ex amicis tuis, quos & plu-
rimos habes per Europā passim, & præstantis-
simos, neminē extitisse hætenus, qui te hæc
monuerit, & nequos istos, quos tu, quia oculos
tibi fascinas, nō cernis, detexerit. Ac me qui-
dem his de rebus ad te scribere cogitantem
atque etiam aggressum, non semel deterruit
ab instituto pudor, ad quod amor & admira-
tio tui me hortabatur. Diemq; ex die iam ex-
pectabam, vt tuopte ingenio, sicut pollice-
ris, quicquid hic peccatum est, emendares:
cūm prodit, ecce, cēturia altera epistolarum
tuarum: quæ ipsa quàm auidè à nobis lecta
sit, nihil attinet scribere. Deprehendimus
hic te, vt paulò æquiores & modestiores
erga singulos; sic aduersus S. Romani Impe-
rij Prouinciā nobilissimā VVestphaliā,
& eius incolas, ac cum primis Generosos &
Illustres Comites Oldenburgenses extremè
iniurium, & contumeliosum: vt acuisse te ad
maledicendum, & quàm etiam eo in genere
vir sis, quàmq; si velis, egregie calumniari
&

*Epist. ad
lect. cent.*

& conuiciari possis, posteritati ostendere
quasi dedita opera voluisse videaris. Quod
igitur præ ingenuo pudore, imperare mihi
non poteram, vt te tantum virum de quibus-
dam tuis vitijs monerē: id amor patriæ post-
quam accessit ad admirationem tui, tandem
extorsit. Iccirco & superiora illa recensere
volui, & pro VVestphalia patria mea dein-
ceps apud te differere; non alio fine, quàm vt
debitam patriæ pietatem præstem, & amo-
rem tui meum tibi declarem: tum vt tu mo-
nitus posthac modestiùs de te, & honorifi-
centiùs de alijs (quod solum propemodum
tibi ad veram sapientiam & virtutem deesse
videtur) sentire & loqui discas. Ac inprimis
ab iniurijs, aduersus imperij ordines, & na-
tiones vniuersas temperes: ne perniciem &
exitium certū ipse tibi attrahas. Poteramus,
fateor, quibusdam te condonare conuicijs.
At nimis es magnus, Lipsi, vir. Quare tuo e-
xemplo vbi alius idem tentarit, scelus suū,
autoritate tua tueri volet. Igitur retunden-
da hæc audacia fuit, ne tibi aliquid hac in re
fuisse videaris; neve aliorum fides, ex tuis cri-
mina-

minationibus dependeat. Vtor autem hic,
Lipsi, & vtar deinceps, quoad eius facere pos-
sum (exemplo de te sumpto) verbis summo-
rum virorum præceptorum meorum, quos
ne tu quidem, vt opinor, audes contemnere:
idq; faciã partim propter sermonem ipsum,
in quo, quis tibi tam delicatè sapienti, præter
hos paucos, quos probas, placere queat? par-
tim vt plus ponderis habeat apud te, quod
non à me, sed velut ab illis tibi dictum videat-
tur. Nec institutam *ἐκδοχὴν* meam, sed te te-
quar, quã isti priùs. Ais: *Oldenburgi Cent. 2.
mi Douſa, ſum. ubi malum iſtud? inquires. 69. 13.*

Imò, Lipsi; ſi rectè virum illũ nouimus, non
inquiet. An ille ignoret nobiliſſimam & ve-
ruſtiſſimam domum Comitum Oldenbur-
genſium, & ſedem eorum Oldenburgum?
aut ſi ignoret, (quod propterea nō dico, quia
dubitem, ſed vt ad hanc rem nihil intereſſe
oſtendam) an aliter quærere non poſſit, niſi
verbum illud (malum) addat? non herclè fa-
ciat. Didicit vir nobiliſſimus cautiùs loqui.
Non debuisti igitur verbum ex tui cerebri
officina depromptum illi affingere. Sed non

D

igno-

ignorat ille, fatiscio, Generosam familiã Comitum Oldenburgensium : neque nescit VVESTPHALIAM, (quæ ab ortu, Visurgi fluuio, ab occasu Rheno, versus meridiem Hassia & Melibocis montibus concluditur) Versus boream Frisiæ fines attingere, vsq; ad urbem Bremam, & Oldenburgensium Comitum ditione terminari. Quare non erat necessum subijcere : *Opidulum est in Vvestphalia tertio lapide à Brema.* quæ tamen sententia, vt est ex semisse vera, sic ex altero semisse falsa est, nec minùs de tabellariis, quàm de veritate malè meretur. Illi, cùm quinq; penè milliaribus à Brema distare norint Oldenburgum, atq; ea pedibus suis, vix ægrè, vt aiunt, die vno emetiãtur; pro errore tuo, hoc vnũ imprecantur tibi, vt assignatis tibi secundum putationem tuam, in singula milliaria grossis binis, ire redire istac aliquoties cogaris. Ego etsi errorem leuiusculum parui facio (neque enim in mercede tabellariorum tuum prescriptum sequentur mercatores) velim tamen hæc à te prodita non esse. Videris enim præcipitis incuriæ specimen
his

his ipsis dedisse: & vt initio huius epistolæ,
modò aliquid diceres, nihil pensi habuisti,
quàm accommodatè ad animum Douſæ di-
ceres: Sic hoc loco ostendere voluisti, verū
esse, quod alibi iactas, quòd manus tua nimis <sup>Epist. ad
lect. cent. 2.</sup>
quàm facilè mentem sequatur.

Pergis dehinc explicare, quid causa sit,
quod istic tenearis. *Illic, inquis, me tenent
equites nostri, qui loca hæc omnia persubstant. certè
animi pendeo, properem? cum periculo est, nec
audet id quisquam mercatorum. Hæc am? tem-
pus mihi labitur itineri oportuum. Quod si diu-
tius in his locis illæ turmæ, delibero Emdam rede-
am an mari Hamburgum pergā, atq; istinc Fran-
cofurtum. Hæc est deliberatio tua, mollis &
pufilli animi index. cui subijcis tragicam ex-
clamationē. Omnia molesta in hoc tempore.
Parum, vt opinor, conuenienter epistolæ, pa-
rum pro dignitate tua. Philosophus enim es,
Constantiæ autor & professor, &, quo nomi-
ne omnia comprehendimus, L I P S I V S es,
quem nil nisi Heroicum spirare decuit. Tu
verò etiam impia subijcis. *Dij, ais, porrò in-
uent, adhuc fero & resisto.* Impia vox est plu-*

ralitas Deitatis, ex Philosophorum lectione
crebra adhærescens tibi: non quòd ita senti-
as, hoc enim aliter compertum est nobis, sed
quia, vt supra dixi, mentem nimis quàm fa-
cile manus tua sequitur. Sed hac de re cùm
alij te monuerint, operæ præsentis nō est, ea-
dem multis repetere. Redis posthæc ad
laudes VVestphaliæ. *Apud vos, inquis,*
quolocores sint, scire velim. Nam hîc qui inqui-
ram? In Scytharum eremiâ mihi videor, nec in-
ter homines satis certò. Omnes hîc Suillij, Scro-
fa, Porcij, & uno verbo, tui Hermannij. Iam
hec est, vt ille ait, οὐδὲν γένος. nil potuit vanum
magis aut insolens effutiri. Quod si quæram
ex te, vt quid tibi solitudo videatur VVest-
phalia, certum est mihi, ni mentiri voles, ni-
hil prorsus habere te, quod saltem probabili-
ter respondeas. Siue enim vrbium frequen-
tiam & celebritatem voles: oppida sunt per
VVestphaliâ plurima, ampla & populosa:
siue indigenarum ingenia & animos spectes;
facient, vt te pigeat tuarum opinionum: si-
ue ipsius soli vbertatem desideres; peragra
VVestphaliâ, vide, & cede verecundiæ:
aut

aut si nolis, crede hoc nobis, & oculis nostris
qui vidimus; aut si non nobis, da hoc Chy-
trao amico tuo, qui vidit, & vt res est, & de-
cebat, laudauit. Audi ipsum. Soli, ait, *VVest-*^{1. part.}
phalici vbertas & bonitas multis in locis eximia ^{Chron. &}
^{orat. sing.}
^{de VVest-}
^{phal.}
est. Et si enim in eo tractu, quem mercatores sapif-
simè transeunt, regio vastior & incultior est; ta-
men ad *Visurgim* & circa *Susatum*, *Heruordi-*
am, *Padebornam*, *VVarburgum*, *Hoxariam*, &
passim alibi fertilibus agris, ac ubiq; ferè latissi-
mis pascuis, glandiferis syluis, iisq; non incultis
abundat. Versus *Rhenum* & montes *Hassia* eti-
am ferri, cupri, plumbi, & aliorum metallorum,
ad *Corbachium* etiam auri venas non incelebres
habet. Et terra bonitatem, omniumq; rerum ad
vitam pertinentium copiam, frequentia homi-
num eam incolentium, & oppida plurima, ac vr-
bes amplæ & populosæ *Monasterium*, *Osnabru-*
ga, *Susatum*, *Minda*, *Tremonia*, *Heruordia*,
Padeborna, *Lippia*, *Lemgouia*, *VVesalia*, & cæ-
teræ, rectâ descriptione & splendore adificiorum
& ciuium multitudine ac humanitate, paucis in
Germania cedentes, ostendunt. Audisti
Lipsi? Saltem huius viri autoritas, contine-

re tē debuit in officio vera prædicandi. Audi:
Si VVestphalia, & vrbium frequentia & ce-
lebritate, & incolarum humanitate, inter cæ-
teras orbis Christiani prouincias, facile locū
suum, vt facit, tuetur; Scytharum eremia ea
minimè fuerit. Si non est, ne appella tu. Si
appellas; VVestphali, quos iniuria afficis, te
mentiri dicent. Noli etiam scribere illa:
Nec inter homines satis certò. & epist. XVI. ad
Pet. Coluium: *hæc (in quo nidulo!) teneor Ol-
deburgi, inter homines semihomines,* quæ verba
ab sesquiasino prodita esse dicebant nonnul-
li, quod minimè ferebam; Sesquicanis rabi-
di latratum esse, vt paterer, vrgebant alij, siue
Sesquivituli ferocientis & exultantis impe-
tum; frustra itidem. Nolim enim conuiciis
certare cum quoquam, minimè omnium
tecum, quem in plerisque omnibus venerari
& colere didici. Quæ verò animi mode-
ratio, & virtutum tuarum admiratio cohibet
me ab ingerendis maledictis & conuiciis, ea
permittit, vt temperata fortitudine vtamur,
ad indignitates & iniurias, quas à te pati-
mur, à communi parente patria propulsan-
das.

das. Vt quid igitur semihomines tibi sunt
VVestphali? *Omnes, ais, hinc Suillij, Scrofae,
Porcij, & uno verbo tui Hermannii.* Parum
herclè scitè aut lepidè. Veterum Romano-
rum familias (Hermannii enim vestri qui
sint, scire nolo) recitas, sed minùs accommo-
datè ad præcedentia. Laudabiles fuerunt
Scrofa & Porcij apud Roman. hinc tibi haud
certò homines. Suillius etiam apud Scripto- *Corn. Tat.*
rem tuum homo fuit, sed cum multis aliis
nequam & calumniator. Riserunt viri do-
cti, parum falsam argutiolam hanc, qua suū
custodes ridere tibi libuit. Quamobrem ve-
rò non addebas, mutari VVestphalos in? no-
lo dicere. quod populari cuidam tuo cum
narrarent olim in itinere mercatores VVest-
phali, etiam persuaserunt. Sola namq; hæc
& huiuscemodi infania, ad tam insignem
impudentiæ cumulum deerat.

Sane verò, mi Lipsi, semihomines sumus
omnes. Audi pro his nugis quas blatis, di-
uini pudoris plenissima verba incomparabi-
lis præceptoris nostri. *Illud, inquit, ante ocn-* *IV L.*
los semper habendum censeo: Te meq; aliosq; *CAES.*
omnes, *SCAL.*

omnes, nos homines esse meminisse: Qui si quid
homo sit scias: facile te nihil esse intelligas. Ego
verò nequaquam homines nos esse, dicere consue-
ui; sed partes hominis. Ex omnibus enim aliquid
fieri posse, idq; non magnum: ex singulis penè
minus quam nihil.

Audi inquam hæc &
his similia potius, & dedisce sic satis impu-
denter rodere nomina, & in ridiculis tuis ar-
gutiolis tibi soli placere. Ingenij tui no-
bilitatem relinquimus tibi; quantum li-
bet, homo esto; dummodo tu & alios suo
quemq; loco relinquas. Caue autē imprimis,
Lipsi, si fortè in VVestphaliā ad Porcios il-
los redeas; caue, inquam, verbum vllum hu-
iusmodi ex te audiant. Nolim enim te expe-
riri re ipsa, quā sint illi homines, & quidem
verè Germani: apud quos rixas rarò conui-
cijs, sæpius cæde & vulneribus transigi, sati-
us est ex scriptore tuo, te discere, quā ex il-
lis. Sed porro.

O Batavia! inquis.
O amici! vos mihi in mente & ad vos adspiro.
Iam hoc facile patimur. Magno teneris de-
siderio amicorum? tenere: ad eos adspiras?
etiam abi: non tenemus hic. Adeò non invi-
demus

Cor. Tac.
de morib.
Germ.

demus Lipsium Batauiæ, vt etiam alterum,
si habeamus, istuc mittere, si cupiat, non re-
cusemus. Præferri etiam Belgicæ prouincias
VWestphaliæ nostræ non tantū libenter pa-
timur, sed & vltro facimus ipsi, pacē quoque
qua mediocri hætenus, Dei benignitate,
fruiamur nos, etiam illis ex animo precamur;
neq; aliam gratiam pro hac æquitate referri
nobis cupimus, quā vt tu tui perpetuò me-
minisse velis, neq; hæc & his similia conui-
cia, vel nobis vel alijs posthac populis inge-
rere.

Quæ sequuntur in hac epistola
prætereo; partim quia non sunt de nobis,
partim quia non intelligo, an te decuerit no-
bilissimo viro de osculanda vxore scribere.
Hoc intelligere videor mihi satis, non decu-
isse Lipsium clausulam illam de loco postre-
mam.

In Barbaria, inquis, *apud Pulti-pha-*
gos.

Græcum te esse, & quidem (vt non-
nulli aiunt) Cretensem, iamdiu est cū
sciebamus; non nunc primum ex huius La-
tinogræcæ vocis scita compositione didici-
mus. At cur non dicebas pultiuoros? vorant
enim tibi haud comedunt VWestphali. Sed

E

mitto

mitto nomen. Tunc pultis vsus exprobras
VVestphalis? utinam hoc verè faceres! utinā
ne recessissemus, Lipsi, à maiorum nostrorū
frugalitate & parsimonia! multò meliorem
& florentiorem rem tum publicam, tum
priuatā haberemus; tum multò etiam meli-
us valeremus. *Bona valetudinis eorum*

lib. 2. cap. 11 (inquit Val. Max. de maioribus loquens)
quasi quaedam mater erat frugalitas. Item,
Maximis viris prandere & cenare in propatulo
verecundia non erat. Nec sanè ullas epulas habe-
bant, quas populi oculis subijcere erubescerent.
Erant autem adeò continentia & attenti, ut FRE-
QUENTIOR APUD EOS PUL-
TIS VSUS, QUAM PANIS
esset.

Ecce Lipli, etiam Romani vete-
res pulte vescébantur; ut si idem faciant ho-
die VVestphali, non dedecori id illis, sed lau-
di potius esse putandum sit. Vel hoc saltem
argumento esse queat, quàm sit ea gens prisci
moris, frugalitatis, & constantia amans. Sed
vereor ne nimis multi sint per VVestphali-
am passim, qui vita sua laudes hasce tuas re-
futent. Itaq; mihi verbis pluribus eas neq; re-
fellere

fellere, nec amplecti est animus. de Barbaria
mox. & ad hanc epistolam quidem quod at-
tinet, Vale.

Iano Hautteno sic scribis.

Cens. 2.
ep. 14.

*Emda cum dies aliquot quieuissem, partim recre-
andi mei causa, partim quia deerant currus: iter
arripui Bremam versus, sed pede parum fausto.
Oldenburgum ecce veni (distat tertio milliari ab
ea urbe) & undiq; cingunt nos equites, peditesq;
qui in Belgium parantur. Suprà castigauimus
errorem hunc calculi; nunc progrediamur
ad cætera.*

*Manendum in nidulo illo fu-
it, aut incidendum in Harpates illos, quibus ni-
hil est sancti.*

Hic Oldenburgum nidu-
lum appellas, idemq; facis ep. xvi. *bic* (in quò
nidulo!) inquis, teneor Oldenburgi. Næ tibi hoc
tantulum diminutium os diminuat misere
si vnquam reuertaris Oldenburgum, & prin-
ceps ille suo iure aduersum te uti volet. Ma-
gna subest in hisce tuis temerarijs vocibus su-
spicio, te, qui Iuriscōsultus tamen renūciatus
es, parum in eo studij genere versatum esse.
Planè enim vel nescis, quid iniuria sit, vel si
scis, extremè audax es, qui hisce contumelio-

sis verbis, sedem Generosissimorum Comitum Oldenburgerisum vocitas. Floruit hæc Comitum familia, iam à multis seculis, inter primas per Germaniam; nec Comites solum nobis, sed Illustrissimos etiam Holsatiæ principes, & Serenissimos Daniae Reges, nostra, parentum, & auorum memoria dedit. Ad hos omnes hæc iniuria pertinet. Quam illi, si non pro agnata clementia condonare tibi, sed vlcisci iuris via vellent, quid ageres miser? certè ob vnicum hoc vocabulum, vel epistolæ hæ spongijs, vel autor (inuitus dico) scuticis castigandus fuerit. Hoc tibi considerandum est, vt faciliùs pœniteat. Oppidũ est fatemur, Oldenburgum, haud ita magnum, itaq; oppidulum appellasti aliquoties. hoc concedimus tibi. At nidulum cur vocitares, non alia causa, quam animi tui libido, & superciliosus contemptus iubebat. Emenda obsecro & resipisce; *multi si pœnitere possent, possent & incolumes esse*, inquit Historicus. Hoc hic tibi. Et placidum quoq; ingenium atrox iniuria accendit. Caue igitur, nec ipse tibi vltro accerse infortunium.

Expli-

Explicas deinceps consilium itineris tui.
Et me hercules, inquis, de tota via mea hareo, ita multa à multis pericula audio ita multa ipse video. Omitto molestias & tedia hospitiorum præsertim quæ hîc plus quàm Germanica. Tùm subdis barbaricum, quo tuum nobis animum, non patriam nostram depingis. Crede mihi, ais, amice, barbaria nulla barbaria est præ hac VVestphalia.

Insigne certè elogium, cui nihil addi potest nisi veritas: quæ, si audire vis, hæc est: quod Lipsius de VVestphalia hîc prodidit, mendacium est. Suprà, de Scytharum cremia aliquid respondi tibi ex Chytræo: & ostendi nullo iure à te VVestphali-
am sic appellari; siue vrbes ipsas, siue terræ fertilitatem spectes, siue etiam incolarum ingenia intuearis. de his si lubet audi nunc plura. sequenti epistola de hospitij differemus. Peperit natio VVestphalica, multos insignes doctrina & virtute viros: & nondum effæta
parit cottidie, qui demonstrant ingenia VVestphalorum, non amusa seu barbara,
sed ad litteras, ad disciplinam, ad virtutem, ad alias honestas artes idonea esse. Audisti,

opinor, de Alexandro Hegio Dauentriensis
scholæ Rectore quondam dignissimo, qui
solus tibi pudorem, si non sit, incutere que-
at: ex cuius schola magnus ille Erasmus, Io-
annes Murmelius, & plurimi alij exierunt.
Repete ex historijs de Rodolpho Langio, &
Hermanno Buschio, & cessa maledicere.
Inquire de Hermanno Bonno, verbi Dei in
inclyta vrbe Lubeca Doctore, & in vicinas
gentes propagatore; ac vt cæteros mittam,
consule Nathanem Chytræum amicum tu-
um de Arnolfo Burenio VVestphalo, refor-
matore & professore Academię Rostochien-
sis, sene doctissimo & grauissimo, & desine
VVestphalam barbaris conuicijs incessere.
Quod si etiam viuos vis; peragra regna, prin-
cipatus, & vrbes, reperiēs passim in potentis-
simorum regum & magnorum principum
aulis, etiam vrbiū florentissimarum præ-
sertim Saxonicarum curijs VVestphalos ho-
mines ad Reip. clauum sedere, & feliciter
alijs præesse. Et latent in patria sua & alibi
VVestphali, quorum neq; ingenia rideri à te,
neq; eruditio contemni, neq; iudicia tuam
contu-

contumeliam pati debeant; sed latent, neq;
scribendi cacoëthe famā venantur. Quos si
nōris, verè vsurpare possis illud, quod alibi
scripsisti: *quosdam mereri famam, quosdam ha-*
bere. Non recensebo tibi doctissimos Theo-
logos, clarissimos ICtos, acutissimos medi-
cos & philosophos, insignes poëtas VVest-
phalos: absunt enim illi ab omni ambitione
longissimè, & ego pariter ab adulatione. Nec
advocabo hūc solertes ludimagistros per
VVestphaliā: sunt enim ferè omnes in hæ-
resi illa, cui qui addicti sunt, nunquam tibi Cent. 1. ep.
89.
magni erunt. Quod tamen si alius quispiam
diceret, in Peripateticorum libris logicis
haud paullò melius versatus, quam tu; fortè
crederent: Tibi non credunt, quem putant
instar futoris hīc vltra crepidam processisse,
nec alijs suā Trebellianicā relinquere vo-
luisse. Et vt sunt homines illi pertinaces &
iracundi, fortè exedendum tibi cum aliquo
eorum erit, quod hīc tibi intristi.

Ex his pauculis, quæ dixi, constare arbi-
tror, quū VVestphalos barbaros appellas,
barbarum esse, & à veritate auersum conui-
cium.

cium. Superiora verò illa, quæ de VVestphalorum ingeniis commemoravi, haudquaquam ita accipi velim, quasi hæc propria sint VVestphalis, ac non cōmunia cū multis: non. Sine comparatione illa accipi volumus, nec aliis nationibus, vel tantillum his laudibus detractum. Non tam bardi sumus, vt nesciamus laudare vnum, nisi id fiat ruina nominis alterius: quemadmodum tu facis, cū subijcis: *Cætera Germania ferè vidi, quid dicam? deliciae illæ locorum & hominum sunt, si cum istis comparentur.* Assuesce quæso frugalius & cautiùs loqui, nec semper cum comparatione. Videres verò alios per Germaniam populos, quos nominare nolo; excuterent tibi istam comparationem. Per quorum regionem si iter facias, nec panem in pera gestes, esuries tibi findat latus. De hominibus iam respondi: locorum delicias quas appelles, oppidò scire velim. Si enim solum ipsum intelligi vis, iam hoc falsum esse ostendi. Sin lautitiam & victum splendidiorem: neque penitus verum, neque penitus, fateor, falsum est. Sane viuunt alibi
homi-

homines lautiùs & splendidiùs. At iam dico
tibi, fas fuisse verba hæc non à Lipsio, sed
muliercula quapiam pronuntiarī. Carere vo-
lumus nos hisce non solum delicijs, sed &
cupiditate earum, quæ corpus animumq; vi-
rilem effeminant. De Spartanorum legisla-
tore Lycurgo legisti, quòd ciuium suorum *Val. Max.*
oculos à cõtēplanda Asia legibus retraxe-
rit, ne illecebris eius capti, ad delicatius vi-
tæ genus prolaberentur. Tu audes etiam de-
licias, vt magnum humani generis bonum
prædicare? Heliogabalo cuiquam aut Sarda-
napalo isthæc ostenta, haud nobis: qui
corpora & animos nostros disciplina, labore
& patientia durari volumus ad virtutem &
roborari: nolumus, Spartanorum exemplo,
tenacissimos patriæ neruos, externarum de-
liciarum contagione hebetari & solui. Audi
hac de re Chytræum pro VVestphalis disse-
rentem, ne insolens videatur tibi nostra de
nobis oratio. Domi, inquit, & priuata & *ubi supr.*
publica disciplina, ad pietatem, ad virtutem, &
omnia instituta officia, & præcipue ad laborem ad-
suescunt. Vt autem homines nihil agendo, male
F agere

agere discunt; ita rursus honestis laboribus multa
male cupiditates, & vitia reprimuntur. Itaq;
cum *VVestphala* sit patiens operum, paruoq; ad-
sueti inuentus, & corpora laboribus durentur:
luxum & voluptates aspernantur, & de pluribus
benè mereri, & postea molestias ac onera guber-
nationis, ad quam in his etiam propinquis urbibus
plurimi adhibentur, faciliùs perferre possunt: imò
ad gubernationem eò studiosius prouehuntur à
prudentibus, qui a benè parere honestis imperijs &
officiosi ac diligentes & fidi in mandatis sibi fun-
ctionibus esse à pueris adsueuerunt. Hæ laudes,
Lipsi, perpetuæ sint *VVestphalis*, habeant
animi sui epulas laborem & sudorem, & his
partam virtutem; tùm corporum, apparatu
modico, quantū satis est, cibi: & relinquent,
scio, libenter tibi & alijs suas cuiq; delicias.
Reliqua huius epistolæ pars, nos nō attingit,
nisi quod de loco ascribis, quem apponere
non potuisti, nisi eum etiam aliqua insolentia
tuæ nota insignires. *Oldenburgi* ais,
ex hara, quam hospitium appellant. Quid
aliud, quam taceam? nisi illud dixero, non
esse tibi ad fontes illos acidos vsq; adeò pro-
peran-

perandum, ob corporis curam; quin Anticyras nauiges prius, & elleboro mentem purges, ne hæc atq; talia posthac tam insolenter & inconsideratè effutias. Istuc igitur abi Lipsi: & Vale.

Supereſt Epiſtola XV. ad Iohannem Heurnium, ſupra modum elegans & feſtiua; qua de hoſpitijs potiſſimum agis. videamus. *Ego, inquis, mi Heurni, quod vos Medici mireremini, viuo.* Si quemadmodum ſcribis etiam viuis, Lipſi; & nos miramur, te viuere. Os modeſtum & verecundum manusq; puræ & innocuæ, tutò peragrant orbē terrarum, vt vulgato Germanorum fertur prouerbio. De manibus tibi credo. Linguae petulantia & acerbitas vitam eripere tibi potuit; ſi, vt dicebam, loqueris etiam, quæ ſcribis, nec inſtar agni Aëſopici, ex alto tantum maledicis prætereunti lupo. Miramur igitur quidem, ſed gaudemus tamen te adhuc viuere. *Quamobrem verò? Paſſus enim, inquis, in hoc VVeſtphalo itinere ſum, qua nemo olim Cynicus aut patientiam profeſſus.* Miſelle Lipſi, paſſus es tam grauia? patere verò, perfer, obdura.

dura. Sic itur ad astra. *Per varios casus,
per tot discrimina rerum tendimus in patriam.*
Sic argutulus aliquis iocetur tecum: In face-
tiusculi nos haud assequimur acumen tuū,
aculeo. Languidè sic satis & frigidè hæc dicta
arbitramur, tamquam alius diceret, haud
Lipsius. Sed videamus, quæ perpeſſus sis.
*211 Omnia humana, inquis, mala me exagita-
runt, ab aëre, ab aquis, à cibis.* Quomodo?
*Venti & pluvia perpetua. cibi non dicam barbari,
sed vix humani.* Quare non addebas
catarrhos, febres, scabiem; culicum etiam &
pulicum morſiunculas? quæ omnia pre-
canda tibi sunt, vt bonus fias. *Valetudi-
nem meam noſti, & quàm ea præcipuè mihi fir-
manda dilectu dapum.* Sanè hæc, & quæ præ-
ceſſerunt epistolæ, testes sunt satis locuple-
tes dubiæ ſanitatis tuæ. quam tamen haud
firmaris, opinor, dapum dilectu: cucurbitas
adhibendas cenſeam, aut elleborum, quo
mentem recipias. *Ecce, inquis, in hoſpitij, ſic
appellabo, et ſi reuera ſtabula illa aut haræ potiùs.*
Ecce tu Lipſi, ſi iam tuus es, motæ mentis tuæ
argumentum & ſpecimen. Ruſticorum caſis
(de pa-

(de pagis enim loqueris) quæ hospitium tibi præbuerunt, & pudori tuo, si quis est, parere debuisti; nec hospitalē mensam & lectum, haram aut stabulū furiose appellare. Saltem hanc gratiam debebas rusticis, qui te, in eremiâ illâ, ut vocas, tecto receperunt. Meminisse debebas, quæ scriptor tuus de Germanis scribit. *Quemcunq; mortalium, ait, arcere tecto nefas habetur. Pro fortuna quisq; apparatis epulis excipit.* meminisse, inquam, hæc debebas, & pauperem etiâ apparatus apud pauperem hospitem æqui boniq; consulere. **NEQVAM SERVVS EST, QVI MELIVS, QVAM DOMINO, ESSE VVLT SIBI; & hospes, Lipsi, qui melius, quàm hospiti.**

Age verò quid tandem in hospitij? *Primo initu, ais, poculum aliquod obtrusum cerevisiæ olentis.* Puerum quempiam ab ubere matris primulū raptum audire videmur. Malè te habet oblatum cerevisiæ poculum Lipsi? gratiam habere debebas. aliorum venires, & pro strato terram, pro tecto coelū, pro cibo famem, pro potu sitim haberes.

Cereuisia, inquis, olentis. Equidem Cereuisiam, quæ nihil oleret, gustare mihi nondum contigit. Quod si malè olebat illa, de qua scribis, huic quidem malo quàm facilè mederi poterant VVestphali! & fecissent libenter, factò tibi suffitu, si scissent.

Aut tenuis, ais. Sanè ita decet, *INTRA TEGES TENERE PEDES, NI FRIGERE VELIS.* Tenuem cereuisiam bibunt tenuioris fortunæ homines, qui accepti & expensi rationes putant cum pera.

Et sæpè à recenti coctione calentis. Sic est, Lipsi, semper à recenti coctione calet cereuisia. At tu frigidam bibisses, neq; propterea, me sponse, discessisses à vita.

Nec fas recusare, ais, nisi elegisses expelli. Hoc tu dicis. At nos, bonâ veniâ, non credimus tibi. Quemadmodum in vniuersum apud Germanos olim, sic etiam hodiè apud VVestphalos, quemcunq; mortalium arcere tecto nefas habetur. Quamquam si te domo sua exegissent, magno tuo merito fecissent, qui in deos hospitales vsq; adeò es ingratus.

Hic gustulus erat, & adignem cum au-

*cum aurigis aliquot aut scrophipascis eadem illa
potio sæpius iteranda. Sanè, nisi tu nolis, iteran-
da potio sæpius, fatemur. Etiam ad ignem se-
dent more veteri. & sedent in pagis quidem
aurigæ, &, vt appellas, scrophipasci, haud
Philosophi, Stoici, vel Peripatetici, quos in
suis quosq; porticibus & Lyceis reperias. Sed
quò tu iterata istac potione abeas, satis scio.
Haud semel hoc te ungue scabis. Crapulam
exprobras hic & alibi sæpius Germanis. Verè
quidem, bonæ parti eorum, fateor, sed non
pariter verecundè & decenter. Eos tu, quo-
ties libet, Cantharos, Saturos, Pisces etiam,
opinor quod liquore gaudeant, contume-
liosè vocas. *O Pisces, pisces, inquis, non hæc* *Cent. i. ep.
20.*
aqua, in quâ vos natetis. & magis vobis faciat
ille ab Citharone liquor, quàm hic ab Helicone.
Scilicet, quia maledicam & mordacem ac
quauius proscriptione dignam Satyram tuam
non pro opinione tua acceperunt patienter,
nec decus suum & libertatem tuæ libidini sic
satis inhonestè gratificari voluerunt; hinc
iam ipsis nullus ad Heliconem patet aditus.
Haud ita est, mi homo. Nec quia de Cithæ-
ronis*

Cent. 1.
ep. 22.

ronis liquore bibunt Germani, de Heliconis fonte non hauriunt etiam quantum satis est ad tuendum locum inter vos & cum vobis suum. Alibi modestior es & verum amas: *Homines*, inquis, *etiam illa tellus alit ingenio doctrinaq; pares nobis; fide & virtute meliores. Experiris ipse, & magis experieris cotidie, si omissa inanum specie de re iudicabis, ex re ipsa.* Sed de largiore inuitatione Germanorum agetum quid sentis? Fulget in cœlo
SCAL. crater sidus. Quam ob causam putas? Haud ob aurum Indicum, opinor, sed quod Creticum contineat, aut ambrosiam. Extra iocum, Lipsi, sunt in Germanis, viri virtute & doctrina præstantissimi, qui minimè delectantur quidem ingurgitatione cibi potusq; nimia: & tamen interdum vbi res postulat, in aulis Regum & Principum, in legationibus obeundis aut audiendis, in tractandis hospitibus Principum suorum nomine & iussu (more iam per Germaniâ inueterato, etsi non vndiquaq; laudabili) haud paullò plusculum bibunt quàm satis sit fortè tibi & alijs, qui capita, vt aiunt, non hominum, sed pullo-

pullorum gestant: neq; propterea minus officium suum strenuè & gnauiter faciunt: sed & mentis suæ sunt bene compotes, & memoria valent, & eloquuntur, quæ volunt, disertè & suauiter: nec dormiunt propterea in lucem multam, sed surgunt maturè & rectè valent: eo sunt animorum corporumq; robore. Hi viri, qui, ni iuberentur, non facerent, & cum iubentur facere possunt, tantū abest, vt Canthari & Saturi contumeliosis verbis à te vocari debeant, vt multis partibus preferendi sint infirmioribus & debilioribus, qui, vt in prouerbio est, cum semel bibunt, bis ebrij sunt. Quod si non hos, sed asotos intelligis, iam hoc aliquid est: sed non debuisti ab ijs solis totius calumniæ facere initium, nec fortissimam & nobilissimam gentē Germanicam ob quosdam acolastos impudenter & contumeliosè vniuersam traducere. Hoc hinc te ad iteratam potionem mone-re volui. videamus nunc quæ sequuntur.

Cum soleenni, ais, elegantia ad singulos potus porrecta manus. Nondum deposuisti irrisoris personam, quam induisti semel. Rides mo-

rem Saxonum, in manuum porrectione: nos
tuum risum. Vetus admodum mos est, in so-
cietatibus & amicitijs dextras miscere. Scri-
ptor tuus lib. 2. *Annal. Inter quæ, ait, ab rege*
Germ. Tac. Artabano legati venere. miserat amicitiam ac
fœdus memoraturos, & cupere renouari dextras.
Et lib. 12. *Mos est regibus, quoties in societatem*
coëant, implicare dextras &c. Item lib. 17. *Mi-*
serate ciuitas Lingonum, vetere instituto dona le-
gionibus dextras hospitij insigne. Et ex Tito
Liuio didicimus, Fidei sedem in dextris
sacratam esse. Etiam Græcorum verbo in
amicis deligēdis *μὴ παρὰ δεξιᾶς ἐμῶν* iubemur.
Hæc etsi non ignoras (quid enim nescis tu?)
patere tamen obsecro me recensuisse, quæ
alijs indicent, quàm sit mos hic vetus, quem
nos Saxones inter cæteros orbis Christiani
populos paullò tenacius retinuimus. Nec
mouet nos quod parum elegantem consue-
tudinem eam iudices. Tibi ita videtur:

ἀλλ' ὃ σὸ θυμὸς τὸ εἶπεσι γέλω.

Heust tu. Simples sumus, aperti, fidi: non
aliud in lingua promptum aliud pectore clau-
sum habemus. Cui manū vltro porrigimus,
huic

huic ex animo benè volumus. Hunc nobis
& animū relinque & morem. Tu tibi, si vis,
habe inclinationes, incuruationes, capitis in
humerū reflexiones, manuū osculum, tūm
pedum, quantū vis, strepitum: etiam genua
salutandorum apprehende, & si quid aliud
ridiculæ gesticulationis ab circulatoribus
mutuari voles: haud mutauerimus cum his
omnibus manuum apprehensionem nostrā
fidei & grauitatis priscae testem: qua magnæ
virtutis & autoritatis. Principes viros etiam
hodiè per Germaniam, præ illis, quas dixi,
inanitatibus, delectari scimus. Sed nunc
tandem ad mensam accedamus. *Interea,*
inquis, mensa sternebatur, (nec dicam de mappa
nostrā) Ne nos quidem de mappa dicemus,
cum nolueris aperire nobis cuiusmodi ea fu-
erit: ipsos missus videamus. *Calor, inquis,*
mensa inhiabat in cibum: sed heu, primum ferculū
è larido spisso, pingui, & addo, crudo. Heu & o
Lipsi, laridum tibi apposuerunt rustici? idq;
spissum & pingue, & vt tu (opinor de tuo)
addis crudum. Nec enim cruentum vorare
solent, sed vel coctum, vel sale maceratum

& induratum fumo. Quod ipsum si crudum
est tibi, iā multis crudis vescimur mortales,
sine vlllo tamen vel vitæ vel valetudinis etiā
detrimento. sed non sunt hæc tui stomachi.
Magnam profectò debes dijs tuis gratiam,
quod ab his dapibus abstinuisti. ni fecisses, in
eo erat, vt morereris. Abi delicatule, abi in
mollicularum mulierum cætū. Cultus ma-
gna cura tibi, magna virtutis incuria, inquit
in not. pol. apud Ammianum Cato. quod tu ita explicas
nobis. *Honestum*, inquis, *ei vile est, cui corpus*
nimis charum est. Egregia verba, sed quæ plus
sapiant, quàm qui ea recitabat. Recordare
quæso tui, à quo tam sapè diuersus abis. me-
mineris quid de Caro Imperatore ex Syne-
Lib. 2.
Pol. sio alibi commemorares. Cibus, inquit Syne-
sius, erat vetus aliquod nigrum pulmentariū:
& in eo frustula quædam falsæ suillæ carnis.
& quæ sequuntur. Tum concludis tu: *Ita*
me Deus, inquis, *amet, hæc virum olent, imò he-*
roem. At tua, Lipsi, verba in hac epistola, effe-
minatam femininam feminam. Væ miseræ
Batauiæ, si tui similes habeat ciues imbelles.
Quamdiu factum esset; cum expugnata ho-
stile

stile pateretur & ferret iugū? Apagesis istam
animi mollitiem, apage verborum insolentiam,
qua pultis & laridi vsum exprobras rusticis.
Hæ summorum etiam Imperatorum dapes fuerunt.
& Romani olim commeatū in aceto, frumento, larido, hordeo & paleis
in annum repositum habebant, quemadmodum
ex Capitolino refertur: & vt idem ho- *lib. 2. Pol.*
diē fiat, præcipis. Quorū si meminisse velles
facile intelligeres, quā parū te decuerit,
de larido appposito tam stulte exclamare.
Quid verò facias? cum in cibū haud admittatur
tibi, & nefas sit, non aliud poscere, sed,
quod non habeas, apponere? Specto, inquis,
& taceo, & buccellas aliquot panis frango. atq;
utinam panis! sed reuera, mi Heurni, si colorem,
si pondus, si totam faciem vidiſſes; iuro tibi, peierasses
de pane. Ater ille, grauis, acidus, & formatus in massā,
quaternos aut quinos penè pedes longam, quam ego nec eleuassē.

Profectò abest hinc pudor. vescitur vulgus
rusticorum, & familiæ etiam ciuium, in quibusdam
Vestphaliæ locis, haud candido pane; sed colore subnigro & paullū fla-
uescen-

vescente. in causâ est, non filigo; sed quod
in massam maiorem formantur panes, atq;
ideo vt percoquantur, nocte tota relinquun-
tur in forno, oblinito eius ore. Peierare autē
de pane, eius interest, qui à gustu commo-
nefactus non sit: iurare verò peieraturū aliū,
hominis est, vt aliud nil dicam, vani & ven-
tosi. Neq; verum est quod de longitudine &
pondere scribis. Massam binos pedes longā
plus millicies vidimus. ad eam non potuisti,
quin pro liberalitate tua alterum tantum, &
paullò ampliùs adderes. Massam panis atri
per VVestphaliā vidisse te pedum quater-
nūm aut quinūm: ternūm pedum mendaciū
est. Etiam vidimus, qui panes ternos & plures
gestarit; tam verū est, quod scribis, eleuare te
non potuisse eiusmodi massam vnā. Quā-
quam de te verum esse potest. Nec enim
perinde, ac animi vires, etiam corporis tui
robur cognitum habemus: neque in eo, siue
verum sit siue falsum, quidquam nobis est.
Insequentibus næquā facetus es, & ridi-
culus. ais. *Plinius mihi ibi in mente, qui de
hac aut finitima gente scribit, miseram eam,*
quater-

quæ terram suam vreret. Ego verius, miseram
quæ terram ederet. Primum valdè aridet
nobis modestia tua; quod, cum certum non
scires, an de VVestphalica gente hoc scripsis-
set Plinius; per Dialecticam mendacij casti-
gationem verum profiteris; &, de hac, ais,
aut finitima gente. sic decebat. Per VVest-
phaliam enim, quæ syluis fructiferis, & cæ-
duis passim abundat, pauci admodum terrā
vrunt. Sed hoc miserores tibi videntur alijs,
quod non vrant, sed edant terram suam.
Hanc miseriam, Lipsi, si *DEVS OPT.*
MAX. ita velit, perpetuam nobis esse veli-
mus. Auertat ille à nobis clementer hostium
incurfiones, & vrbiū direptiones, quas mi-
nari nobis videtur circumfufis vndiq; turbis:
auertat pestem & famē: verbi sui depositum
apud nos seruet purum & illibatum: & terrā
illam, quam vocas, cum deuota gratiarum
actione libenter frangemus. Nolumus nos
colorem in pane secundario alium: facile
mutaturi operā nostrā, si velimus. Ad hæc,
ne sis nescius, vescuntur VVestphali præter
hunc secundarium, pane candidissimo &
maxi-

maximè solutili : quem tibi tùm in pagis ver-
fanti, & quia ignorabant quantus vir esses,
fortè non apposuerunt. Posthac, Lipsi, non
foenum in cornu, sed chartam gesta, cui, qui
fis, inscriptum sit; vt moniti hospites candi-
dum tibi panem postmodùm apponant. Sed
videamus alios missus. *Diu expectato*, (inquis)
ecce tibi caput iam cœnæ patina grādis, plena bras-
sicae confecta. Ea iurulenta est (*virulentam mi-*
hi calamus scribebat) *adipe porcino ad digitum*
eminente atq; superstante. Hoc profectò est,
Lipsi, quod Saxonum prouerbio fertur:
HOMINI INSOLENTI ET
SUPERBO VNCTIVSCVLVM ES-
SE OLVVS. Itaq; eiusdem insolentis spiri-
tus verba subdis : *Hanc*, ais, *ambrosiam non*
comedunt mei VVestphali, sed vorant. Come-
dunt, Lipsi, auidius, qui laboribus corpus
exercent & famem opsonant, quàm qui ve-
terno & otio marcescunt. Et habent rustici
in pagis brassicam hanc vt ambrosiam, lau-
dabili patientiæ & continentiae exemplo, sed
minimè, vt tu vis, nouo. Nam & Horatius
olim, cùm vitæ rusticæ desiderio teneretur,
de his

de his dapibus cecinit lib. 2. serm. Satyra 6.

O quando faba Pythagoræ cognata, simulq;

Vincta satis pingui ponentur oluscula lardo!

Et per Germaniâ vniuersam vescuntur ole-
ribus, non rustici tantum, sed etiam ciues &
nobiles. quod tu præteris, tam securus iudi-
ciorum posteritatis, quàm veritatis vel con-
temptor vel ignarus. Verum ad has epulas
nauseas tu & fames. *Ad extremum* (inquis)
passulas aliquot è saccipcrio meo haurio, quas cum
pane lentè gusto. Lipsi, agrum stercoreares; ara-
tri stiuam teneres, & arantes boues sequere-
re; demeteres segetes, aut triturares; idq; ab
ortu solis ad occasum; nec lentè, scio, gusta-
res cum passulis panem. Quod si ea facere
nolis, noli ijs qui faciunt, cibi appetitum vo-
randi verbo exprobrare. Eamus porro.
Inuidiam, ais, cares habuit, & sermonem. sed
ego cū hospite conuiuas iratos habere malui, quàm
Hygeiam. Hoc omittere poteras, partim vt
superfluum: partim etiã debebas, vt falsum.
Nouimus, etiam tacente te, elatas ceruices
tuas, & cæterorum contemptorem animum.
Et de Hygeiæ offensione quod scribis, non
H credi-

credimus tibi, qui scimus nonnullos come-
stione olerum, mitiorem sibi reddidisse
deam illam: quod tibi omnium rerum sci-
entissimo, non debeo pluribus exponere.
Extremum ferculum videamus. *Caseus*, in-
quis, *fuit, sedita putridus ut diffliueret. Hoc tamē*
illi habent ut cerebrum Jouis. At tu hīc cerebrū
habes in linguā, cū miserum caseum pu-
tredinis accusas, qui fortē ob pinguedinem
& acrimoniam ab vermiculis sit erosus: cu-
iusmodi ex Suecia in Saxonīā complures ad-
vehuntur, & in VVestphalia passim etiam
premuntur. quos si grati saporis esse negas,
gustus vim in oculis, haud ore gestas. *Atq;*
in pagis, inquis, *ista. In opidis haut multō melio-*
ra. nisi quod illic tamen pisces nobis plerūq; appo-
siti ex his qui Norrvegiā adferuntur sale indu-
rati & vento. at panis ē filigine eādem. Cū
sine pudoris iacturā, negare non possis, in
præcipuis vrbibus VVestphaliæ (si tamen eas
vidisti) satis prolixē & eleganter accipi &
tractari hospites: neq; tamen verum fateri
velis: leuiter admodum, præter morem tuū,
delingis has epulas, & *haut multō*, inquis, *me-*
liona

lora in opidis. Deinde, vt soles, ad illudia
 transilis. Hos cibos, ais, edere iam didici, imò
 concoquere: Et si ad vos unquam redeo, virum
 videbis siue passerem marinum potius, qui vorare
 didicerim ferrum. Ad quæ nihil aliud respon-
 deo, quàm, digna esse ludione suo hæc illu-
 dia. Mensam lustrauius: visum eamus
 lectum. Ais. Vis etiam lectum? planè electum.
 Placuit tibi suauiusculo Rhetori verborum
 ille reflexus & responsus. Sic paullò ante
 brassicam iurulentam appellabas, & mox vi-
 rulentam. Item alibi sæpius tibi places in his-
 ce gerris. At virum grauem & Philoso-
 phum, Lipsi, cuiusmodi tu es, temperare de-
 cet ab hisce argutijs. sed videamus. Lecti-
 ca, ais, pleræq; in ordinem ad utrumq; latus iux-
 ta eas vacca, equi, vituli: supra, pulli & gallinae:
 subter (testor fidem) porci. Iam primum de
 ordine lecticarum quod scribis, accipimus.
 Per Saxoniam vniuersam hunc morem vi-
 deas. Etiam iuxta lecticas vacca & vituli
 stabulantur interdum. supra eas, pullos &
 gallinas quiescere nunquam vidimus, sed fe-
 re in tigillis, ad fores domuum suspensis. Ha-

ras etiam in domibus rusticorum vix vnquam inuenias, sed extra eas seorsim. In maritimis quibusdam Ansaë Saxonicaë ciuitatibus, citius reperiās pauperem mulierculam, subter terram in cella habitantem, & haræ incubantem. In pagis rustici haud ita angustis terminis circumcluduntur. Quamobrem verò, cùm tam diligentèr omnia explicueris, non addebas etiam cuiusmodi monstrum in lecto iacuerit? Composuisses hoc pacto bellum & certamen, quod est ea de re inter nonnullos; quorum alij canem rabidum, alij bouem cornupetum, alij impudentiusculi calcitrosum Asellum, alij aliud, nescio quid, fuisse contendunt. Mihi ea curæ non sunt. lectum ipsum videre malo.

De puluino, inquis, aut linteis, oro te, noli querere. mendicorum nostrorum tegetes longè meliores ac puriores, aut centones. Itaq; per dies totos octo vestem non posui. Sanè cum hæc legimus, Lipsi, ad commiserationem mouemur, quæ eò acerbior nobis accidit, quò minus opitulari tibi posse videmur. Nisi fortassè vota quid valent, quæ libentèr pro te concipimus,

&

& optamus tibi vt vel Cochlea fias, & domum tuam tecum portes: ita nimirum arbitrij tui fuerit, deuitare istos pultiphagos, & tegetes, mendicorum vestrarum centonibus foediores: nec lis erit tibi vnquam cum vicino, de stillicidio: Vel cum poëta illo in pulicem muteris, atq; in collo aureolâ catellâ vinctus, in deliciis virgunculæ alicuius sexagenariæ habearis, cuius delicatulum sanguinem fugas interdum, tum salias aliquantisper; post in lectulo satur te colloces.

Peruenimus ad pulcrum illud corollarium tuum.

Duas, ais, noctes dormiui in apertâ naui siue cymbâ, in Hontâ flumine, sub puro Ioue: idq; cœlo pluuio & ventoso.

Crasfiusculi quidam in Philosophia naturali, haud intelligebant, Lipsi, quomodo puro Ioue, cœlum pluuium esse queat. Hoc explicasses. Ego in sermone ipso allucinari te non posse, iam pridem mihi persuasi; itaq; aliter accipio & interpretor. Sed ad rem. Aër humidus optimum est, vt ille ait, viaticum ad nihil valere. Eò maiore cum admiratione excipimus epiphonema illud, cum

ex imo pectore velut suspirans, ais: *Posthæc
tamen omnia vivo.* Post hæc, Lipsi, tanta, tot,
tàm grauiâ mala terrâ mariqûe exantlata?
Etiâmnè verò paludamento carebas, cum in
apertâ naui sub cœlo pluuiò dormires? ô fa-
ctum malè! corrige. Tempus lanitondij in-
stat. Erinaceum tonde, & contexe tibi, quo
vtaris postea. Est diis tuis gratia, quod te
semel ex his tantis periculis liberârunt. Non
est sæpius periclitanda salus tua, & in eâ eti-
am Reip. literariæ.

Claudis dehinc epistolam callida & fa-
ceta scil. calumniarum excusatione. *Jo-
cosa*, inquis, *habes.* Quis hoc non credat?
& verò ego nihil aliud, quàm iocatus sum te-
cum. Heus tu Lipsi: audistine? IOCA
NON CANVM SED OVIVM IN-
STAR MORDERE DEBENT AV-
DITORES. Abi hinc in malam rem,
cum istis acerbis jocis tuis; nimis graphicus
es in re seria nugator. Rectè tamen purgas:
nam tua illa, *Jocosa habes*, nihil aliud sibi vo-
lunt, quàm hoc quod dicam: Quæ Lipsius
de VVestphalia dixit, vera non sunt. Sub-
ijcis.

ijcis. *Quid aliud mihi libeat natali die?*
Sic est: meminisse dulce, quod durum fuit
pati. Quid verò si hæc tacita abs te essent?
Opinor medico tibi opus fuisset, & pillulis
purgantibus: nunc non est. Postquam enim
expromisti & euomisti omnem animi tui
bilem, & virus in miseram VVestphalam,
spes est sanum te fore. Perge verò si quid est
etiã reliqui eijcere, nec dubita. *Carmen*, ais,
pro methodo tua habes, sed quod non dubiè olebit
hanc gentem. Quæ postrema huius episto-
læ cauda, sanè cauda est. Medicus etsi SCAL.
apud ægrum est, & ægritudinm intelligit,
nihilominus tamen & ipse & eius cerebrum
sanum est, modò hæc quæ tu hîc dicis, ne di-
cat. Sed benè est, vt aiebam, quod eiecisti:
iam conualelces. Sanum speramus in te sin-
ciput & mentem meliorem, quam ego tibi,
vnà cum corporis valetudine, à DEI be-
nignitate, ex animo, etiam atque etiam pre-
cor.

Hæc ferè sunt, Iuste Lipsi, quæ visum mi-
hi in præsentia, ad acerbas tuas in VVestpha-
liam potissimum epistolas respondere. In
qui-

quibus, quod & initio dixi, hoc vnum spectavi, ut debitam patriæ pietatem præstarem, & te verecundè & modestè tui ipsius mone-rem. De illa haud negabis verum esse, quod non tantum vulgo fertur, sed etiam magnorum principum symbolo celebratur: HONESTVM PRO PATRIA. Quò pertinere videtur, illud familiaris scriptoris tui, cum ait: LENTIS NOBIS ESSE LICERE IN NOSTRO DOLORE, REIP. INIURIAS HAUD LARGIRI. Itaquæ iniuriam patriæ meæ, atq; vniuersæ adeò Germaniæ à te illatam, ea qua licebat animi & verborum libertate propulsare conatus sum. Hoc viri cordati, haud reprehendent, & ne tu quidem, opinor. Conuicia nulla ingessi tibi, probris abstinui, ab omni acerbitate temperaui; nisi quid eius fortè alicubi ex tuo sermone sumtum, & in te retortum est. Hoc ita fieri solet, cum in refutando versamur, & indigna patimur. Cate-roquin ad te quod attinet, extra has iniurias, præstantissimum te philosophum esse iudico; virum plena eruditione, & virtute multa;
cuius

cuius haud paullò plus haberes, si alienam
amares. Gloriam, Lipsi, cum modo habere
si velis: si in ijs quos probas, ipse esse studeas,
qui, vt Comicus inquit, *quicquid est incoctum
non expromunt, bene coctum diunt*: si ex ore
tuo nihil neq; insolens, neq; gloriosum exire
patiaris; si verba tua mentē præcedere nolis:
Si ab iniuriis aduersus imperij ordines & na-
tiones vniuersas cum primis temperes; si
hæc, inquam, facias; iam par erit virtus eru-
ditioni tuæ, & tum ex hac, tum ex illâ partâ
egregiâ famâ longè anteibis cæteros, & pro
mortali, gloriâ æternus fies. Et facies, Lipsi.
spondet animus, & verba tua. *Iudicia, cent. 1. ep.*
inquis, *multorum experior valde in me prona.*^{10.}
quorundam etiam aduersa, fateor. Et cur offen-
dar? scio quod sæpe meritò. Item alibi. *Ego, in-*^{cent. 1. ep.}
quis, de meo sensu noni Et adtestor, libentissimè^{12.}
me, sicubi deflexi, non corrigi solùm sed corripì:
certè cum de animo mihi constat corrigentis.
Hæc pudoris & candoris diuini plenissima
verba tua, magnam & propemodum certâ
nobis spem faciunt, fore vt apologiam pro
patria nostram, & quæ huic connexæ sunt,

I moni-

monitiones verecundas, æquo animo acci-
pias; quicquid hîc abs te peccatum est emen-
des; à maledictis in futurum abstineas; cum
non ex beneuolo tantùm animo, sed & eo,
qui virtutes tuas magnificat, & te ob ipsas
veneratur & colit, certò proficiſcantur.
Quod si ad acriusculè alibi à nobis dicta
oculos & mentem conuertas; Liuium il-
lud meminisse te velim: SATIS SVPER-
QVE HVMILIS EST, QVI IVRE
ÆQVO IN CIVITATE VIVIT,
NEC INFERENDO INIVRIAM,
NEC PATIENDO. Inuiti descendimus
in hanc arenam: nisi laceſſiti eſſemus, mini-
mè facturi. Patriam defendimus; decus & li-
bertatem noſtram tuemur. Nihil detrahi-
mus tibi. Laudes tuas non ſolùm relinqui-
mus tibi libentèr, ſed etiam liberalitèr cu-
mulateq; deferimus. Miramur virtutem
(ſic alij mecum ſentiunt & loquuntur) ſuſpi-
cimus inſignem eruditionem tuam: lauda-
mus ſtudium erga Remp. literariam. Colui-
mus te jam pridem intimo animi noſtri ſen-
ſu. Cupimus eſſe amici, niſi tu nolis; amici,
inquam,

inquam, tui Lipsi, sed amici vt ille VSQVE
AD ARAM; sic nos VSQVE AD PA-
TRIAM. Hic noster de te sensus est; hic er-
ga te propensus sincerus animus. Tu verò
præstantissime LIPSI, & sic habe de nobis,
& ad te, quæsumus, reuertere; & omissis istis
inanitatibus magnitudine tua indignis, al-
tiora & sublimiora cogita. Explica nobis ea,
quæ te rogavi suprâ. de stylo & imitatione
iamdiu aliquid expectamus. grande operæ
pretium erit, certi aliquid hîc præscribere iu-
uentuti. Perge nobis dare de Ethicis, de Po-
liticis; & si quas alias ingenij tui felicitates
nobiscum communicare voles. Hæc atque
huiuscemodi alia tracta, Lipsi, quibus, cum
immortali nominis tui gloria, benè me-
rearis de literis, & debita studia de
te sibi multa pollicenti po-
steritati persoluas.

Vale.



LECTORI S.

NE sequentes paginæ vacuæ venirent, candide lector; visum nobis fuit, Iusti Lipsij epistolas, ob quas, vt paullò in VVestphaliâ iniquiores, hoc quicquid est scripti-
onis, potissimum susceptum nobis est, integras huc adscribere. & percipies hoc pacto vtriusq; sensa rectius, & æquius de defensione nostra judicabis.

CENT. II. EPIST. XIII.

IANO DOVSAE V. N.

OLdenburgi, mi Douſa, ſum. Vbi, malum, iſtud? in-
quies. Opidum eſt in VVeſtphaliâ, tertio lapide à Bre-
mâ. Illic me tenent Equites noſtri, qui loca hæc omnia
perſultant. Certè animi pendeo. Properem? cum pericu-
lo eſt, nec audet id quiſquâ mercatorum. Hæream? tem-
pus mihi labitur itineri opportunum. Quod ſi diutiùs in
his locis illæ turmæ; delibero Embdam redeam, an mari
Hamburgum pergam, atque iſtinc Francofurtum. O o-
mnia moleſta in hoc tempore! ſed dii porrò iuuent, adhuc
fero & reſiſto. Apud vos quo loco res ſint, ſcire velim. Nam
hîc quî inquiram? In Scytharum eremiâ mihi videor, nec
inter homines ſatis certò. Omnes hîc Suillii, Scroſæ
Porcii, & vno verbo, tui Hermannii. O Batauia! ô amicu-
li! vos mihi in mente, & ad vos adſpiro. Fontes tamen
meos præguſtaſſe vellem, quod ſubuereri incipio vt fiat
hac hieme. Videbo, & ſub manu conſilium aliquod ca-
pnam,

piam, quod te non celabo. Vale, mi Doufa, & lectissimæ
vuxori tuæ salutē & osculum (ita iubeo) à me ferto. In Bar-
bariâ apud puliphagos, III. Non. Octob. clō. lō. Lxxxvi.

EPIST. XIV.

I A N O H A V T E N O S. D.

EMbdæ cū dies aliquot quieuissem, partim recreandi
mei causâ, partim quia deerât currus: iter arripui Bre-
mam versus, sed pede parū fausto. Oldenburgum ecce
veni (distat tertio milliari ab eâ vrbe) & vndique cingunt
nos equites peditēsque, qui in Belgium parantur. Manen-
dum in nidulo illo fuit, aut incidendum in Harpates illos,
quibus nihil est sancti. Et mehercules de totâ viâ meâ hæ-
reo. ita multa à multis pericula audio, ita multa ipse video.
Omitto molestias, & tædia hospitiorum præsertim, quæ
hîc plusquam Germanica. Crede mihi, amice, barbaria
nulla barbaria est, præ hac VVestphaliâ. Cetera Germa-
niæ ferè vidi. quid dicam? deliciæ illæ locorum & homi-
num sunt, si cum istis comparentur. Et tamen auidè an-
helo ad illos fontes. Sed hiems me occupat; &, si diu-
tiis morantur hîc equites (pecuniam autem exspectant,
nec, nisi eâ plenè numeratâ, pedem moturi dicuntur) fra-
ctum meum iter. Quod si fiet, iterum Embdam constitui,
& illic hiemare. nec enim planè displicet is locus, & inter
ignotos, libellis meis & chartis me inuoluam, sine metu
interpellationum. Sed vos intereâ quid? quo loco res
publica, res priuata? scribe ad me quæso, & litteras Emb-
dam destina: quia in omnē casum, illinc ad me vel in me-
diam Germaniam facilè perferentur. ita mandavi, & vxor
te docebit. Vale mi amicissime, cum vxore tuâ & familiâ
omni, quam saluto. Oldenburgi, ex harâ, quam hospitium
appellant. III. clō. lō. Lxxxvi.

IOHANNI HEVRNIO
S. D.

EGO, mi Heurni, quod vos medici miremini, viuo. Passus
 enim ea in hoc VVestphalo itinere sum, quæ nemo o-
 lim Cynicus aut patientiam professus. Omnia humana
 mala me exagitârunt, ab aëre, ab aquis, à cibis. Venti &
 pluuiæ perpetuæ: cibi, non dicam barbari, sed vix huma-
 ni. Valetudinem meam nosti, & quàm ea præcipuè mi-
 hi firmanda dilectu dapum. Ecce autem in hospitiiis (sic
 appellabo: etsi reuerâ stabula illa aut haræ potius) pri-
 mo initu poculum aliquod obtrusum cereuisiæ olentis
 aut tenuis, & sæpe à recenti coctione calentis. nec recu-
 sare fas, nisi elegisses expelli. Hic gustulus erat, & ad i-
 gnē cum aurigis aliquot aut scrophipascis eadem illa po-
 tio sæpius iteranda, cum solenni elegantia ad singulos
 potus porrectæ manus. Intereâ mensa sternebatur, (nec
 dicam de mappâ. nosti.) & iam calor meus inhiabat in ci-
 bum: sed, heu, primum ferculum è larido spisso, pingui, &
 addo, crudo. O rem mei stomachi! quid facerem? posce-
 re aliud nefas. Specto igitur & taceo, & buccellas ali-
 quot panis frango. atque vtinam panis! sed reuerâ, mi
 Heurni, si colorem, si pondus, si totam faciem vidisses:
 iuro tibi peierasses de pane. Ater ille, grauis, acidus, &
 formatus in massam quaternos aut quinos pænè pedes
 longam, quam ego nec eleuassem. Plinius mihi ibi in
 mente, qui de hac aut finitimâ gente scribit, *Miseram eam
 quæ terram suâ vreret. ego veriùs, Miseram quæ terram ede-
 ret.* Sed vide alios missus. Diu expectato, ecce tibi ca-
 pant iam cænæ patina grandis, plena brassicæ confectæ. Ea
 iurulenta est (virulentam mihi calamus scribebat) adipe
 porci-

porcino ad digitum eminente ac superstante. Hanc ambrosiam non comedunt mei VVestphali, sed vorant. ego quid? nauseo, & famco. atque ad extremum passulas aliquot è sacciperio meo haurio, quas cum pane lentè gusto. Inuidiam ea res habuit & sermonem: sed ego cum hospite conuiuas iratos habere malui, quàm Hygeiam. denique & famulus meus insufurrabat iis de morbo. Extremum ferculum caseus fuit: sed ita putridus, vt disfluere. hoc ipsum tamen illi habent, vt cerebrum Iouis. In pagis ista: in opidis haut multò meliora. nisi quòd illic tamen pisces nobis plerumque appositi, ex his qui Norvvegià adferuntur sale indurati & vento. at panis è filigine eadem. Hos tamen cibos edere iam didici, imò concoquere: & si ad vos vnquam redeo, virum videbis siue passerem marinum potiùs, qui vorare didicerim ferrum. Hæc in mensâ. vis etiam lectum? planè electum. Lecticæ pleque in ordinem ad vtrumque latus. iuxta eas vaccæ, equi, vituli: suprâ, pulli & gallinæ: subter (testor Fidem) porci. De puluino aut linteis, oro te, noli quærere. mendicorum nostrorum tegetes longè meliores ac puriores, aut centones. Itaque per dies totos octo vestem non posui. Iam illud corollarium pulchrum: quòd duas noctes dormiui in apertâ naui siue cymbâ, in Hontâ flumine, sub puro Ioue: idque cælo pluuiò & ventoso. Post hæc tamen omnia, viuo. Iocosa habes: quid aliud mihi libeat Natali die? Nam de morbo absit vt te consulam. malè perierit ille in malâ viâ. Tu salue. & voueo idem Holmanno, Beima, Bontio, collegis meis. Embdæ xviii. Kalend. Nouembr. clv. lxxvi.

Carmen pro Methodo tuâ habes, sed quod non dubiè olebit hanc gentem.

EPIST.

EPIST. XVI.

PETRO COLVIO:

APPello te, mi Colui, vltro. Libet, & vacat: illud ob amorem, hoc ob otium, quo præter votum nunc fruor. Nam hîc (in quo nidulo!) teneor Oldenburgi, inter homines semi-homines. idq; vi siue metu nostrorum equitum, qui circumfusi. Nosti genus, & quàm nec Musis nec Mercurio parcant; vtique si ijs bulga. Ita iter nostrum protollitur, & bene si non tollitur superuentu nigræ hie-mis, quæ & ipsa adequitat. videbo, & quod deus ille dabit, feram. Salue mi Colui. Vbi dixi, No-nis Octobrib. cl. l.

Lxxxvi.

